18

COMMENTATIO DE INDVLGENTIIS ECCLESIASTICIS, PER


Theses explicata, & in Academia Ingolstadiana publicè proposita.

MATTH. XVI.

Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis: etc.



Ex Typographia Vueyssenhorniana, Mense Maio, Anni 1566.



מתרגום סורריא
מח תקית מאריא .שפטי יד



τί δ' ἢ λέοντος φέρτερον. κρι: ιδ.

Ecquid Leone fortius: Iud. 14:

Ἀδέσποτον.

τεῦ χάριν ὧδε λέων ἴσκεις γναθμοῖσι καὶ ὄσσοις,
γοργὸς ἰδὼν, καθόλου καὶ μένος αἰπὺ πνέων·
σημαίνω πάντεσσιν, ὅσον θυμῷ τε καὶ ἀλκῇ,
Αὐτὸς ἰ, τῶν λοιπῶν τετραπόδων προέχω:
· τόσσον ὁ βαυαρίης ἄρχων ἡγήτορας ἄλλους
ἤθεσι, κἀυσεβίῃ πάντας ὑπερπέταται.

DE INDVLGENTIIS THESIS.

I.



OENAS, REMISSA CVLPA, NONnullas manere reliquas, fides[que] prædicat, Scriptura clamat, unanimis Patrum consensus comprobat, & ipsa deniq;, quam aßiduè patimur, miseria, apertissimè confirmat.

II.

Est autem pœna isthæc bipartita, altera Medica, altera Satisfactoria: Hæc sontes & peccatores ad patratorum scelerum expiationem exercet: Illa Iobis, Thobijs, Paulis, & alijs eius perfectionis Heroibus, uel ad meritorum conaugmentationem, uel certè ad futurorum lapsuum cautionem, diuinitùs infligi solet.

III.

Quò fit, ut medica illa, neq; temerè auerti, neq; facili negocio in alteram solita sit commutari: satisfactoria uerò, siue ultrò pio animi studio suscipiatur, siue aliundè in malorum uindictam irroganda timeatur, & ante auerti, & per aliud ἰσοδυνάμενον compensari, & nonnunquam etiam ante tempus præstitutum, potest aboleri.

IIII.

Cæterùm, ut legalium suppliciorum alia sunt legitima et ordinaria, alia, ob facinorum quorundam atrocitatem, extraordinaria, ita quoq; diuinæ illæ peccatorum ultrices pœnæ, tametsi ut plurimum secundum æternæ legis præscriptum pendantur, interdum tamen etiam uia extraordinaria, ad supremi Iudicis arbitrium inferuntur.

V.

Porrò autem, quæ de pœnarum satisfactoriarum diuersitate hic monuimus, eadem de pharmacis & medijs, quibus eas ipsas pœnarum reliquias exhaurire oportet, suo quoq; modo intelligenda & accipienda censemus.

VI.

Media ordinaria appellamus, quæ iuxta diuinæ sapientiæ institutionem,

præfinita lege, certoq; rerum euentu operantur, ut Sacramenta & sacrificia: Contra uerò, ea uocamus extraordinaria, quæ, tametsi nunquam sine fœnore adhibeantur, haud tamen certum illum, & indubitatum remißionis sortiuntur effectum. cuius quidem generis sunt, preces, ieiunia, eleemosynæ, uigiliæ, & aliæ id genus corporis macerationes quamplurimæ.

VII.

Rursum inter memorata illa media, quædam tam insigni cumulata sunt uirtute, ut culpæ simul & pœnæ, licèt non ex æquo, ancillentur depellendæ: reliqua uerò per modum iustæ commutationis, soli pœnæ, post reconciliationem reliquæ, præscribendæ & exterendæ deseruiunt. Prioris generis sunt omnia nouæ legis Sacramenta, posterioris uerò cætera omnia, quibus secundum iustitiæ commutatiuæ normam, debita exoluimus, siue id fiat ex proprio, siue ex alieno: Vtrunq; enim receptum est, & rectè fieri potest, quamuis non pari merito.

VIII.

Atqui ut meritum hic obtingit diuersum, ita etiam nō idem omnium, proprijs impensis satisfacientium est studium: quidam namq; tanto sui puniendi, debitiq; exoluendi feruntur desiderio, ut ultroneis corporis cruciatibus ὑπὲρ ὑπερβολήν satisfaciant: alij uerò quamuis iusta mensura, priuatisque sumptibus id ipsum quoq; præstent, non tamen tanta animi alacritate, neque propriæ uoluntatis impulsione, sed Confessarij, sacramentaliter absoluentis, & pro delicti qualitate multam imponentis, iudicio.

IX.

IAM uerò de Indulgentijs, hoc est de eo satisfactionis genere, quod ex alieno potißimum impenditur, deinceps acturi, primo omnium constituendum est, quid nam Indulgentiarum nomine intelligatur: Nam licèt res ipsa Apostolicis etiam seculis non fuerit ignota, tamen quòd pacis, humanitatis, ueniæ, misericordiæ, condonationis, remißionis, et alijs eiusmodi uocabulis familiariùs, quàm Indulgentiæ nomine significaretur, exorti sunt nouißimis hisce temporibus, qui ex uocis nouitatem insimularent, & ipsam etiam rem in odium, atq; adeo in apertum contemptum adducere satagerent.

X.

Est itaq; Indulgentia, legitima, & ut ita nobis loqui liceat, extrasacramentaria quædam pœnarum temporalium, post iustificationem reliquarum, condonatio.

XI.

Ex qua quidem explicatione illud comprimis manifestum fit, Indulgentiarum

tiarum obiectum pœnas esse non culpas, saltem mortales: & proinde formulas illas Veniarum, plenam culpæ iuxta ac pœnæ remißionem promittentes (etiamsi aliquo in sensu defendi queant) non usq; adeo certæ fidei atq; originis existere. Ecquis enim mortalium extra Sacramenta crimina lethalia remittat? uel mortuus peccato, pro peccatis Deo Opt. Max. satisfaciat?

XII.

Cæterum dum pœnas temporarias Indulgentiarum materiam constituimus, non id de incommodis naturæ nostræ insitis corporisue morbis, aut Ecclesiæ Catholicæ censuris intelligimus, sed de ordinarijs, iuxta legis diuinæ sanctiones, uel hic per satisfactionem, uel certè in altero illo seculo per satispaßionem exoluendis. Nec quicquam omnino referre putamus, sintne pœnæ istiuscemodi pro delicti grauitate, in secreto pœnitentiæ foro, iustè iam impositæ, an olim pro summi Iudicis uoluntate imponendæ, & exigendæ, ex æquo namq; dum absolutè conceduntur, ad utrasq; faciunt.

XIII.

Vnde non minus hallucinati deprehenduntur, qui insignem hanc Christi benignitatem, ad iniunctas tantùm satisfactiones adstrinxerunt, quàm qui omnem eius uim & energiam, in foro hoc exteriori modo & ecclesiastico, contineri & præfiniri uoluerunt. Nam ut hij à minimis hic absolutos, ad grauißimos Purgatorij cruciatus præcipites agunt, ita illi, præter multa alia, non parum absurda, quæ ex sua illa imaginatione consequuntur, Venias illas plenarias, quæ subinde conceduntur, & innocentiam baptismalem dignis pollicentur, uanas, apertæq; falsitatis reddunt suspectas.

XIIII.

Fatemur interim olim, cum pœnæ illæ satisfactoriæ, quantum iudicium humanum decernere poterat, criminum grauitati commensurabantur, et Canones illi pœnitentiales, suum adhuc robur integrè obtinebant, præfinitam illam de iniunctis pœnis condonationem, aliquanto usitatiorem fuisse, altera illa absoluta & illimitata, cuius nunc frequentior est usus.

XV.

Neq; tamen id uel nostris uitio debet uerti, uel in antiquis illis usq; adeo mirum uideri: nam ut primæuæ illius ætatis Christiani, pietatis erant studiosißimi, & operibus pœnitentiæ addictißimi, ita eorum duces rati, quod res erat, se minus officio functuros si paratis ad dignos pœnitentiæ fructus, dignos non præscriberent, tantos ut plurimum iniungebant, quantos iustitiæ diuinæ abunde satisfacturos probabiliter credebant, etiamsi non semper ad amusA 3 sim

ſtim ſcopum attingerent: Nunc verò contra, temporis & imbecillitatis homi-num habita ratione, minimæ ferè imponuntur. Atq; utinam tantillæ illæ ſatis-factiones, non uage adhuc, ſed commodè, contra morborum radices impone-rentur, impoſitæq; bona fide exoluerentur.

XVI.

BASIS PORRO *& fundamentum, quibus totum hoc Indulgentia-rum ædificium incumbit, non eſt* Eccleſiæ *autoritas ſola, ut quidam opinati ſunt, neq; ærarium eiuſdem ſpiritale ſolum, ut defendunt alij, ſed utrunq; ſi-mul.*

XVII.

Etenim ut Chriſtus Ieſus Redemptor *noſter non fruſtra, totos triginta tres annos, tot labores exantlauit, ita* Apoſtolorum Principi *nequaquam fruſtra dictum fuit, Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſo-lutum & in cœlis. Et alibi denuo.* Paſce oues meas: Paſce agnos meos.

XVIII.

Iam uerò diuinam illam ligandi atq; ſoluendi poteſtatem, non ita ad cul-parum relaxationem eſſe coarctandam, ut pœnarum promeritarum remiſ-ſionem penitus excludat, id præter uniuerſalem totius Eccleſiæ *conſuetudi-nem, iam inde à temporibus* Apoſtolorum *inchoatam, & fida traditione uſq; ad hanc noſtram ætatem propagatam, & concordem* Sanctorum Patrum *ſententiam, Scripturæ ipſæ tam apertè oſtendunt, ut quidam etiam primæ notæ* Theologi *comperti ſint, qui exiſtimarent, formalem peccati rationem, in obligatione potius ad pœnam, quàm in ordinis priuationis conſiſtere.*

XIX.

Et quamuis hanc peccati definitionem non admittamus, extra controuer-ſiam tamen eſt, quod dicimus, nempe ſacris & diuinis literis, familiariſſi-mum eſſe, ut promiſcuè tam noxam, quàm pœnam ipſam, arctiſſimo uinculo noxæ coniunctam, peccati nomine ſignificent. Hinc illa: Peccata tua eleemo-ſynis redime. *Et iterum:* Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum: *& ſexcenta eius generis alia.*

XX.

His & illud, non exigui ſanè roboris firmamentum quoque accedit, quod Chriſtus Deus *ac* Dominus *noſter* Apoſtolis, *& legitimis eorum ſucceſſori-*

bus,

bus,hanc soluendi atq; ligandi potestatem faciens, non dixerit, quoscunq; à peccatorum maculis absolueritis, absoluti erunt, sed meditatius, quodcunq;, inquit, solueritis, siue id crimen fuerit siue aliud quoduis ex crimine consecutum, solutum erit & in cœlis.

XXI.

Rursus nemo omnium, uel leuiter in sacris uoluminibus uersatus, nescius est, quin Ecclesia Catholica *ea polleat, semperq; prædita fuerit autoritate, ut pacis ecclesiasticæ turbatores, diuinæq; legis præuaricatores, iure optimo potuerit punire, certamq; puniendorum uitiorum normam, suis ministris præscribere, quemadmudunt etiam reipsa plurimos iam olim sæpè punuit, plurimosq; de puniendi rotione canones ædidit, & olim forsan editura est.*

XXII.

Nunc uerò cum soluere & ligare, claudere & aperire, unius planè eiusdemq; potestatis actus semper fuerint habiti, consequens fit, eandem quoq; Ecclesiam *ab iniunctis pœnis posse absoluere, &* Sponsi *sui exemplo edoctam, nonnunq̃ etiam ante tempus præfinitum debere absoluere.*

XXIII.

Cæterum quando iuxta ueram germanamq; Scripturarum interpretationem statuimus, Ecclesiam *accepisse potestatem remittendi peccata in solidum, & quòad culpam, & quò ad pœnam, non est putandum eodem omnino modo accepisse illam potestatem, sed alio atq; alio, iuxta uniuscuiusq; uim atq; naturam.*

XXIIII.

Vis autem atq; natura peccati mortalis huiusmodi est, ut absq; gratia, animo expelli non queat, gratiam autem ministri Ecclesiæ *(ut alias quoq; ostendimus) sine Sacramento conferre non possunt.* Pœna *uerò temporalis (de ea enim nunc agimus) quod recentem gratiæ infusionem non requirat, sed eam iam ante factam ponat, per absolutam* Ecclesiæ *potestatem, uel legitimam thesauri eius applicationem, uel etiam per condignam pœnitentis satisfactionem, perinde atq; peccatum* Veniale, *extra omne Sacramenti ministerium potest remitti, & sæpißime etiam remittitur.*

XXV.

Imò uerò certum est, nullum Sacramentum, secluso Baptismo, *per se, & primario contra pœnam esse institutum, secundario tamen, quoduis religioso animi*

animi affectu susceptum, ad pœnæ quoq; alicuius depositionem facere nulli dubitare fas est.

XXVI.

IAM VERO *quod præter sacramentariam illam relaxandarum pœnarum facultatem, in Ecclesia Christi existat cœleste quoddam Gazophylacium, ex Christi & Sanctorum meritis conflatum, unde Pontifex Max. spirituali miserorum inopiæ subuenire queat, etiamsi latum illud potestatis suæ pelagus, ita Sacramentis haberet alligatum, ut extra illa, nullam ex se prorsus pœnarum remißionem facere posset, id, præter uenerandorum Conciliorum autoritatem, & concordem Patrum scholæ doctrinam, ratio ipsa tam apertè demonstrat, ut mirum sit alicubi repertos esse, qui istuc inficiari auderent.*

XXVII.

Quandoquidem, ut redundantes Sanctorum satisfactiones paululum hic reticeamus, cui dubium esse potest, quin Christus Dominus noster, siue θεάνδρικα eius facta in ratione meriti spectemus, siue eadem in genere satisfactionis consideremus, multo plura erogarit, quàm totius generis humani exigebat debitum? quippè qui qualibet sanguinis gutta, pro infinitis mundis copiosè satisfecerit.

XXVIII.

Nunc autem cùm tantos sudores non frustra sudauerit, neq; incassum tantum sanguinis profuderit, indubitatum est, uoluisse copiosos illos laborum suorum fructus religiosè asseruari, asseruatosq; per legitimam potestatem fratribus et cohæredibus suis, siue in Sacramentis siue extra Sacramenta, adiungi & incorporari, & hæc quidem magna sunt & admiranda suæ erga nos dilectionis argumenta.

XXIX.

Verùntamen, multo maiori, mea quidem sententia, dignum est admiratione, multoq; magis suam illam immersam, erga genus nostrum commendat charitatem, quod idem ille Dominus & Redemptor noster longè clementißimus, non solùm in carne propria dignatus sit pati & mereri, uerumetiam corpori suo mystico, compatiendi, & suo etiam modo commerendi facultatem impertiri, ita ut iam non tantùm caput in reliqua membra, sed ipsa etiam membra, mutuo dilectionis uinculo connexa, in sese inuicem quoq; influant. Non quod eius influxus per se non sit sufficientißimus, sed quòd inter alias quàmplurimas perfectiones, liberalißimè Ecclesiæ suæ communicatas, hanc quoq; compatiendi & commerendi perfectionem, his, quos ante mundi constitutionem

nem

nem elegerat, ut essent sancti & immaculati, & unum cum ipso & in ipso, communem facere uoluerit.

XXX.

Atq; huc non obscurè allusisse uidetur Apostolus, dum ait, se in corpore suo supplere, quæ deerant passionibus Christi: rursum dum corpus hoc mysticum, corpori physico & animato, uel bene constitutæ Reipublicæ, in quibus mutua operum officiorumq; communicatio locum habere solet, subinde comparat aßimilatq;.

XXXI.

Est nihilominus immensum inter Christi et Sanctorum merita discrimen, siquidem merita Christi (qualia utiq; capitis & uniuersalis Seruatoris esse decebat) tam in merendi, quàm in satisfaciendi ratione fuerunt infinita: Sanctorum uerò, & personalia sunt, & ut meriti naturam induunt, copiosißimè remunerata, in alterum transferri non queunt, ut autem satisfaciendi uim habent, si quidem aliqua eorum pars merentibus superfuerit, ea quidem alijs applicari & communicari potest, finito tamen & limitato modo, sicut & ipsa quoq; merita finita & limitata sunt, licèt interim, quod alia atq; alia noua hinc indè identidem accedant, nunq̃ omnino exhauriantur.

XXXII.

Rursum merita Sanctorum, in meritis Christi, ueluti in radice continentur, & ex ijs, tanquam ex fundamento dependent: Christi uero merita absoluta sunt, &, ut in scholis loquimur, omnino independentia.

XXXIII.

Nec obstat his quicquam alicubi scriptum extare, unumquemlibet onus suum portaturum, iustamq; pro operibus suis mercedem relaturum. Rursus omnes seculi huius perpeßiones indignas esse, quæ cum futuræ gloriæ ponderere comparentur, hæc enim & similia omnia de essentiali remuneratione, non de pœnarum temporalium satisfactione accipienda sunt, & eum in modum accipi debere, ne ipsa quidem Scriptura, dum ad mutuam onerum deportationem subindè exhortatur, iustumq; laborum præmium pollicetur, tacitum uoluit.

XXXIIII.

Multo uerò minus Indulgentiarum religioni, atq; adeo sacri huius thesauri rationi aduersatur; quod Sancti quotidie impingant, quodq; uix unquam, pro collatis in se beneficijs, ad plenum satisfacere ualeant: Siquidem quotidiani illi næui, sine quibus uita hæc mortalium dui multumq; non pro-

B ducitur,

ducitur, non egent tanta satisfactionum impensa, quantam plerique Sanctorum quotidie, toto pene uitæ curriculo impendebant: Sic quoque misericordiarum pater infirmitatis nostræ non ignarus, pro gratuitis illis naturæ, uel gratiæ donis, non tam satisfactionem, quàm gratiarum reposcit actionem.

XXXV.

QVOD VERO ad ærarij huius ecclesiastici curam et Oeconomiam attinet, ea, ut omnes sani norunt, non est penes profanos Rerumpublicarum Magistratus, sed neque penes quoslibet promiscue Ecclesiæ Pastores.

XXXVI.

Est autem uel tota, uel magna certè ex parte penes Pontificem Maximum, summum totius Reipublicæ Christianæ Hierarcham: Hic est enim primarius ille Oeconomus, quem paterfamilias peregrè in longinquum abiturus, constituit super uniuersam familiam suam, ut det ei in tempore tritici mensuram, & cui uni claues regni cœlorum contradidit, gregemque pascendum, & in commune ouile introducendum commisit.

XXXVII.

Quare licèt quæuis diœcesis, & quæuis etiam parœcia, suum quoque habeat thesaurum, non tamen cæteris inferioribus Antistitibus liberum ius est, sibi uel alijs, ex eo thesauro sumptus suppeditare, sed si quid iuris hic habent, quod sanè per exiguum est, illud ad auctoritatem remittendi peccata potius, quàm ad communis ærarij dispensationem referri oportere, non improbabile est.

XXXVIII.

Imò uerò, ne ipse quidem uniuersalis Ecclesiæ Episcopus, quod bonorum Ecclesiæ dominus non sit, sed dispensator tantùm & Oeconomus, non potest qualibet ex causa, ex spirituali hoc Gazophylacio spirituales eleemosynas erogare, sed ex æqua tantùm, & rectæ rationi consentanea.

XXXIX.

Cæterum, quænam causa Indulgentiæ concedendæ iusta satis debeat censeri, id propter diuersa Theologorum placita, definitu non usque adeo procliue est. Nihilominus morosiore disputatione posthabita, & suo cuique integrè, iudicio relicto, ea satis iusta uideri potest, quæ faciat ad fidei, spei et charitatis, cultusque diuini augmentationem, uel propagationem, siue hunc finem sibi constituat proximum, siue etiam remotum.

Quod

XL.

Quod si cum quibusdam antiquis statueremus, inter Venias & earum causas, proportionem necessariò debere intercedere, profectò neq; Indulgentiæ ipsæ nominis sui rationem mereremur, neq; plenariæ illæ ullius ferè futuræ essent efficatiæ, & quod maximum est, reliquæ omnes forent dubiæ. Ecquid enim est Psalmi unius aut alterius recitatio, cum mille aut eo etiam amplius annorum Venia commissa? Sat sit ergò adesse causam bonam, & rationi consentaneam, etiamsi suo effectui minime uideatur adæquata.

XLI.

Porrò autem ut indulgentiæ iusta de causa concessæ, secundum concessionis tenorem & quantitatem ualidæ sunt, ita qui huiusmodi causas flocci faciunt, uel omittunt penitus, nullum omnino emolumentum ex Indulgentijs percipiunt.

XLII.

Veniæ præfinito dierum uel amorum numero taxatæ, ad huius æui spacia, non ad alterius seculi tempora sunt reducendæ: Fiunt enim istiusmodi relaxationes, secundum Canonum antiquorum formulas, quibus legitimum erat, pro grauioribus quibusdam facinoribus, septennalem, uel etiam maiorem iniungere pœnitentiam, si quidem uita permitteret, in hoc seculo explendam, sin autem in Purgatorio, seruata tamen debita pœnarum proportione.

XLIII.

PROSVNT AVTEM, *ut nuper dicebamus, ijs tantùm Indulgentiæ, qui Deo per gratiam reconciliati, nondum in solidum pro pœnis temporalibus satisfecerunt. Nec refert quicquam, sintne iam ex uinculis carnis exuti, an intra seculi huius pericula & fluctus etiamnum constituti, utriq; enim à triumphantium Ecclesia adbuc exulant, ingressusq; regni impedimentum, quod Ecclesiæ autoritate amoueri potest, patiuntur, & de ouibus Christi, nondum in commune ouile adductis, existunt.*

XLIIII.

Vnde ridicule planè D. Petri, & successorum eius autoritas terræ superficie à quibusdam definitur, quod nimirum soluendi & ligandi potestatem super terram, non etiam in terra recepisse uideamur: quasi uerò cœli & terræ nomine tota rerum uniuersitas, cum omnibus suis partibus, Scripturarum more, non passim significetur,

tur, sed certæ tantum, eædémque perexiguæ totius uniuersi partes.

XLV.

Etenim ut homines, bestias, & reliqua super terræ faciem uitam degentia, ex creaturarum numero non reijcimus, dum legimus Deum Opt. Max. fecisse omnia, & quæ in cœlo, & quæ in terra, dumq; supplices quotidiè rogitamus, sanctam eius uoluntatem iuxta in cœlo & in terra perfici atque expleri: ita Pontificum quoque autoritatem à Purgatorijs illis locis non excludimus, dum audimus, ea fere rata in cœlo, quæ illi fortè constituissent, super terram, præsertim cum utrobiq; & Matth. 6. in oratione Dominica, & rursum apud eundem 16. in Pontificiæ potestatis institutione, tam Græcis quàm Syris eadem omnino sit propositio, idemq; orationis tenor: his quidem בארעא *illis uero* ἐπὶ τῆς γῆς. *Deniq; ut maximè Pontifices super terram constituti soluant & ligent, uis tamen absolutionis, ut ad summos cœlorum cardines ingenti celeritate penetrat ac conscendit, ita etiam usque ad intima terræ uiscera descendere ac penetrare, pro compertißimo habendum est.*

XLVI.

Paris fere roboris est, quod alij quidam hic obiectare solent, nempe Pontificem Max. inhumanum quiddam designaturum si, cùm impedire posset, ullum unquam in illud inferorum κολαστήριον *pateretur ingredi, aut iam ingressum, uel ad momentum ibidem detineri. Nam ut Summus Pontifex utrunq; queat, nulla tamen ratio docet, ut illud subinde facere debeat, importuna est enim omnis illa misericordia, quæ nullam penitus habet iustitiæ rationem. Quarè etsi clementia principes commendare soleat, nemo tamen facilè eum laudauerit principem, qui omnes sceleratos citra ullum delectum impune dimitteret.*

XLVII.

Demum in dubium uocare defunctis ne uita, Indulgentiæ prosint, aliud nihil est quam totam Ecclesiæ Catholicæ autoritatem euersum ire. Etenim ut ea preces, sacrificia, eleemosynas, ieiunia, & alia eiuscemodi pietatis officia, pijs defunctorum animabus applicat, ita etiam illis ipsis, perinde atq; uiuis, diuinum illum misericordiæ thesaurum adiungere solet atq; communicare.

XLVIII.

Fatemur tamen nonnullum, inter uiuos, & piè defunctos discrimen intercedere.

cedere. Nam uiui Indulgentiarum præsidio à pœnarum debitis liberantur, per modum iustæ cuiusdam commutationis: defuncti uerò per modum legitimi suffragij: siquidem non sua sed amicorum opera, Veniarum effectu potiuntur. Perinde ac si uiuorum quispiam, infirmitate uel inopia impeditus, non suis uiribus aut opibus, sed alterius liberalitate, milite contra Turcam comparato, Indulgentias per se aut per alium, contra infideles militantibus concessas, forte consequerentur: utrobiq; tamen iustitia suum quoque retinet locum, fit enim quod pro Indulgentijs fieri oportebat, quod tamen per alium fiat, id est gratiæ, & misericordiæ.

XLIX.

Consultò missas hic facimus inconditas illas ranarum Aegyptiarum coaxationes, Indulgentiæ sunt nouum hominum commentum, relaxant bonorum operum studium, & alia eius farinæ plura siquidem iam ante fuse satis explicatum est, Veniarum Ecclesiasticarum usum iam inde à temporibus Apostolorum semper extitisse celeberrimum, licet feruido illo Christianorum seculo, multo quam nunc, & infrequentiores fuerint & parciores.

L.

Rursus, tantum abest ut Indulgentiæ honestarum actionum studia remittant, ut ea etiam uehementer accendant promoueantq;. In confesso namq; est, non paucos earum occasione excitatos, precibus atq; ieiunijs uacare, eleemosynas erogare, exomologesin facere, Eucharistiæ sacramentum suscipere, & alia similia, magna animi contentione subire, de quibus ne cogitassent quidem, nisi largis illis Indulgentiarum stipendijs, allecti fuissent atq; impulsi.

LI.

Hoc tamen non obstante, si qui ita comparati essent, ut proprijs manuum suarum sumptibus, diuinæ iustitiæ possint, & uelint in hoc seculo satisfacere, longè illi sanè utiliorem nauarent operam, si per se contractum debitum exoluerent, quàm si saluberrimum illud bonorum operum studium post habentes, uel etiam minus strenuè obeuntes, eandem ipsam satisfactionem ex thesauro & liberalitate Ecclesiæ exhiberent. Quandoquidem Indulgentiæ ex se quidem solùm habent uim satisfaciendi: opera uero bona ex diuinæ gratiæ benignitate profecta, non tantum sunt satisfactoria, uerumetiam meritoria, & certa nihilominus contra relapsum peccatorum ἀλεξιφάρμακα.

LII.

Vnde si sint duo parium alioqui meritorum, quorum alter proprijs, alter

alienis satisfaciat sudoribus, dubium nullum est, quin is, qui suis satisfecerat impendijs, multo maiorem gloriam olim, in cœlesti illa patria sit accepturus, altero illo, qui ex alieno pœnas promeritas maluerat redimere, q̃ sanctis illis pœnitentiæ operibus quoquo modo incumbere. **Laus Deo.**

SVB PRÆSIDIO THEO: PELTANI D.Theo: ad has Theses respondebit M.Petrus Damianus, SS.Theologiæ Baccalaureus.

Amice Lector, ne uacaret hæc ultima pagella, lubuit hic adscribere decretum Leonis decimi de Indulgentijs.

Bulla Leonis Papæ contra Lutherum.

LEO Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Thomæ titu. S. Sixti, ad charißimum in Christo filium nostrum Maximilianum Imperatorem, electum, nostro & Sedis Aposto. legato. Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum postq̃ circumspectio tua Germaniam applicuerat, ad aures nostras peruenisset: q; nonnulli religiosi, etiam ad Euangelizandum uerbum Dei deputati, super indulgentijs à nobis & Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris ab immemorabili tempore citra concedi solitis, publicè prædicando, multorum cordibus imprimerent errores. Idq; nobis intelligere nimis graue & molestum esset, alijs nostris literis eidem circunspectioni tuæ (De qua propter eius singularem doctrinam, & in rebus agendis experientiam, specialem in Domino fiduciam obtinemus) commisimus, ut auctoritate nostra, approbatione digna approbares: ea uero quæ minus rectè dicta essent, etiam per eos qui Romanæ Ecclesiæ doctrinam se sequi paratos assererent, reprobare & damnare curares: Et ne de cætero quisquam ignorantiam doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, circa huiusmodi indulgentias, & illarum efficatiam allegare, aut ignorantiæ huiusmodi prætextu, se excusare, aut conficta protestatione se iuuare: sed ut ipsi de notorio, mendacio conuinci, & merito damnari poßint, per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tanq̃ matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clauigeri successorem, & Ihesu Christi in terris Vicarium potestate clauium, quarum est aperire, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta, culpam scilicet & pœnam, pro actualibus peccatis debitam,